

gov, seu Opus sex Dierum Creationis latine redditas Sec. V. ab *Eustachio*, sive *Eustathio*, quibusdam dicto *Diacono*; *Afro* ad petitionem *Syncreticae Diaconissae* Germanae suae, Feminae, ut *Eustachius* in praevia testatur Epistola, sacrae lectionis studiosissima. Inferibitur et incipit haec Epistola: *Eustachius Syncretice germane diaconisse. salutem in christo. Religiosus simulque studiosus animus tue germanitatis dum plenitudinem celestium nosse desiderat scripturarum* &c. Versio autem: *Conueniens exordium de mundi compositione narraturus adsumpsit* &c. Comparet illa post varias editiones T. I. edit. *Maur. Paris. 1721. Append. p. 631. f.* cui collatus Codex noster probe, ut plurimum, consentit. Subjecit ei Librarius caractere unciali: *Explicit Liber Eustachii Ad Syncreticam De Exameron Sancti Basilii Translato De Greco In Latinum.* Quod neminem turbabit, qui aut praecedentia legerit, aut Codicem ipsum inspexerit.

CCLXIV.

U. 165

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 135. f. nitide scriptus in Italia, purpura distinctus, et olim a *Johanne Fabro* Praesule nostro donatus Collegio suo ad D. *Nicolaum* hunc praefert Titulum: *Beati Basilij Archiepiscopi Cesaree Cappadociensis de deitate Filij et spiritus sancti aduersus Eunomium Liber a Georgio Trapezuntio traductus.* Praeit vero: *Ad Joannem*

Archiepiscopum Strigoniensem (sic) *Georgij Trapezuntii in translationem librorum magni Basilii contra Eunomium praefatio.* Dabo Translationis hujus Exemplum aliud *Cod. seq. CCLXV.* Praefatione Card. *Bessarionis* ad *Eugenium IV.* et *Trapezuntii* ad *Bessarionem* munitum. Cum igitur *Eugenius* jam annum 1447. in vivis supremum habuerit; *Johannes* vero noster *Vitezius* infulas *Varadienses* primum anno 1465. cum *Strigoniensibus* commutarit, liquet, *Trapezuntium* rei fortassis familiaris angustis pressum munifici Praefulis nostri fores denuo pulfasse. Quoniam autem Praefationis hujus secundae mentionem nullibi reperio, ad Card. *Quirini* et *J. B. Paschalii* modum eam hic integram visum est adtexere.

Catholica veritas, quae Scripturis sacris pater optime continetur, quemadmodum in duobus testamentis veteri ac nouo fundata est, sic maximas persecutiones duas habuisse, latere neminem harum rerum studiosum arbitramur. Unam, quae idolorum cultores evertere viribus omnibus praedicationem Apostolorum et Christi evangelium conati fuerunt. Alteram haereticorum, qui licet Scripturas non ignorarent, ad Platoniorum tamen, quae post Christum fuerunt, dogmata non longe ab idolatria sejuncta superbia quadam, et loquendi facultate magis quam intelligendi scientia freti confundere omnia maxime laborarunt. Sed Dominus noster Jesus Christus hoc est ipsa veritas genus humanum sanguine

Ff 3

Mar-

Martyrum ab idolatria vindicando primam hac ratione oppressit. Secunda vero pullulavit per Aetium et ejus discipulum Arium, quae antequam vires concepisset, a trecentis octo patribus Constantino imperatore extincta, magnas paulo post flammis Eunomii viri eloquentis ac pessimi studii, praedicationibus, incendiis edidit, cujus impietissimo furori qui resisteret, nemo inveniebatur; nam cum Valens indignus orbis imperator omnes imperii vires suaque consilia omnia ad Eunomii patrocinium, veritatemque evertendam propalam convertisset, nullus dicere quid, aut scribere contra audebat, quod imperatoris animum turbare, iramque acuire, furoremque indomitum effrenare posse videretur. Excitavit igitur Deus in illis tot tantisque fidei florescentis difficultatibus Basilium illum, cui magno cognomen fuit, qui maxime omnium sanctitudinis, sapientiae et Litterarum columna, per gratiam sibi ex alto datam, forti animo atque invicto fidei tunc nutantem sustinuit catholicam, Eunomium ejusque consiliis subscriptores prostravit, Valentis solum cum Gregorio Nazazeno assektatore cogitationes praevenit, studia oppressit, vires extinxit, neque rebus his, quibus tunc ecclesiam summis cum periculis liberavit, animo satis suo esse factum arbitratus, posteris quoque fidelibus, ne quandoque illorum impietate corripere, voluit consulere, atque prospicere. Itaque adversus Eunomium sic acute, graviter, commodeque conscripsit, ut non aliter,

quam spiritus sancti voces esse ab eo conscriptas existimare liceat. Hos adversus Eunomium libros in latinam linguam e graeca nobis conversos tuo nomini potissimum dedicavimus; cum virtutis et fidei praestantia, tum imitatione rebus ipsis in Basilium tua, omnibus enim et tu viribus, consiliis, studiis religionem christianam contra infideles ac haereticos summis tude cum Vitae periculis domi forisque tutaris, tuaque unius opera et consilio fractos et pene eversos crucis hostes videmus. Unde et in coelis praemium a Deo tibi repositum, et apud homines ad immortalitatem posteritatis tribuetur perpetua laus gloriaque tuorum meritorum. Quamobrem hoc tuo animo sollicitudineque pro republica christiana non mihi solum verum toti christianitati cognito et perspecto, quoniamque decet Archiepiscopi opus Archiepiscopo offerre, Tu in primis nobis ex omnibus occurristi, cujus benemeritis caeteros video tuae virtutis perpetuitatem liberaliter exoptare. Eam nominis tui felicitatem nos etiam pro viribus in communi extollere ac conservare cupientes statuimus haec magni Basilii ex abditis Theologiae edita a nobis traducta tuae dignationi offerre, et Archiepiscopum Cappadociae caesariensis laborantis ecclesiae defensorem Strigoniensi Archiepiscopo eventibus christianis, divoque Matthiae pannonio regi cura, studio, prudentia, orationibus velut alter Aaron succurrenti conjungere, ut quorum officia, labores, pericula eadem pene sunt, etiam laus sit eadem

eadem in hac vita atque gloria sempiterna. Nam in alia non ambigo, quin eadem beatitudo futura sit. Accipias igitur, oro, traductum in Eunomium opus magni illius Basilii et dignitate et studiis, quod neminem praeterit, tibi conjuncti. In quo etsi ipsius orationis gravitatem dignitatemque non praestitimus, rerum tamen integritatem et sententias non rustice fortasse latinis hominibus in tuam gloriam expressimus. Ad quam celebrandam non publicis modo tuis erga christianos meritis, sed etiam beneficiis privatis impulsi fatemur pervenisse. Quos labores nostros iterum atque iterum quaeso atque obsecro, ut ea, qua soles, benignitate accipias, nosque in tuorum familiarium numerum ex humanitate tua digneris ascribere. Sunt autem primum de divinitate Filii et Domini nostri Jesu Christi, deinde de divinitate Spiritus sancti, quae utraque Eunomiani platonicos secuti amentia sua oppugnabant.

Liber porro seu Sermo I. incipit: Si omnes super quos dei ac salvatoris nostri Jesu christi nomen &c. ut edit. Maur. Paris. 1721. T. I. p. 207. f. Emendatus est Textus a manu folerti, quae et notas complures marginibus adjecit. Ita sub finem L. II. ad verba Eunomii nobis fol. 45. p. 2. Si e creaturis eleuetur aliquis ad substantie comprehensionem &c. notatur: G. Tra. platoniorum deliramenta sunt hec. qui a primo ideas secundo datas dicebant &c. L. III. nobis fol. 49. p. 2. ad verba Eu-

nomii: Tertius et natura et ordine patris imperio: operatione vero filii factus &c. adjicitur: o Maledictum platicum! Quae si ab ipso, ut videtur, in interprete profecta sunt, palam est insectationum, quas a Philosophi Patronis tulit, causa: Liber IV. fol. 51. p. 2. Prologum habet itidem, ut opinor, a Trapezuntio profectum, qui inchoat: In tribus superioribus libris Magnus Basilius firmiores Eunomij locos &c. et in recentioribus Editionibus omiffus, in antiquioribus v. g. Wolfg. Musculi Basil. 1565. p. 143. f. legitur. Liber V. nobis fol. 63. p. 2. simpliciter inscribitur: De Spiritu Sancto, habetque fol. 68. egregiam Notam de Schismate Orientali, quae concluditur: Id tantum diximus, quoniam his etiam temporibus propter res temporales multiplicationem ecclesie abjici et quidem nostra cum vexatione videmus. Quae eventus post Synodum Florentinam respicere videntur. Finis Operis: Qui vero domino adheret unus spiritus est.

II. fol. 89. sequitur: Liber Beati Basilij contra Eunomium. Ad Amphiloebium Episcopum Yconij de Spiritu Sancto a Georgio Trapezuntio traductus. Verum et hic praecedit: Ad Joannem Episcopum Quinque ecclesiensem Georgij Trapezuntii in traductionem librorum magni Basilii ad Amphiloebium praefatio. Est is celebrer ille facillimae venae Poeta Janus dictus Pamponius,

patrium

patrium qui primus ad Istrum
Duxit laurigeras ex Helicone Deas,

et eadem cum Archiepiscopo avunculo calamitate involutus decessit ante diem a. 1472. Praefationem ipsam hic infero, cum illius pariter neminem meminisse videam.

Libros magni Basilii adversus Eunomium, quibus divinitas sanctissimae trinitatis defenditur, a graeca in latinam nobis linguam traductos, dignissime Pater, Joannis Archiepiscopi strigoniensis nomini dedicavimus. Eunomius enim platonicos secutus negabat Filium et Spiritum sanctum ejusdem esse cum Patre divinitatis. Huic rei cum Valens imperator ab eunomianis corruptus maxime faveret, tandem pronuntiata jam pridem a trecentis decem et octo patribus niceensis sententia commoti dissimulantes eunomiani non adeo de filio contendere ad deponendam spiritus sancti aequalitatem cum patre ac filio acrius insurrexerunt, sperantes, hoc sibi dato facilius postea filium quoque Dei a dextris patris disturbaturos. Sed magnus Basilius, qui cognomen magni non nobilitate, nec divitiis, nec armis, sed virtute ac ecclesia defendenda consecutus est, librum ad Amphilochoium Iconii episcopum edidit. In quo triginta capitibus omnium eunomianorum versutias pestilentemque christianis calliditatem patefecit, protulit, radicitusque eversit. Spiritum enim sanctum auctoritate scripturarum, scriptis patrum, traditione totius ecclesiae at-

que fide ab Apostolis orta, recepta, confirmataque consuetudine prisca omnium christianorum aequali patri ac filio sicut ejusdem naturae, sic easdem semper habuisse glorificationes ostendit. Hunc librum, prout parte aliqua in officio tibi respondeamus, dignationi tuae offerimus. Nam cum ipse sciam, te religione, vita, prudentia caeteros nostra aetate praeire episcopos, nec me lateat, omni te in litterarum genere non latinarum modo, sed etiam graecarum eruditissimum, meque semper a te re ipsa diligere et meos amari sciam, non potui, nisi ingratus esse velim, meam erga te benevolentiam devotionemque scriptis non profiteri. Itaque ad religionem, virtutem, litteras, meritaeque tua illud accessit, quod video te dies noctesque sollicitari vehementius pro interitione infidelium, in quorum ore et faucibus data tibi ab inlyto Matthia pannonum rege provincia est, quam tua prudentia et cura ab infidelium excursionibus tuerere, eam non laudis cupidus complexus, ut tui indulgeas, sed fide solum et Christi amore ardens maximo animo et summo vitae discrimine arripuisti, remque difficillimam eandemque periculosissimam tuo ductu et auspicio non ab infestationibus inimicorum modo, sed ab omni procul periculi ac perturbationis timore exemisti, conservasque. Sed de laudibus tuis, quas mente jam complexi sumus, si a tanta alendae familiae cura otiosi

tiosi erimus, feliciore stilo consequemur. Nunc illud praecipue nobis dicendum est, quod sicuti Archiepiscopo strigoniensi Basilium archiepiscopum imitanti opus dicavimus, ita tibi eundem pari studio profeguenti, omniaque tribuenti alterum Basili librum, quo spiritum sanctum ejusdem esse glorificationis cum patre et filio contra eunomianos demonstravit, inscripsimus, ut nostra etiam opera communi hominum utilitati tuis in nos singularibus promeritis consulatur.

Haec in memoriam clarissimorum Hungariae Praefulum. Jam Tractatus ipse sic incipit: *Laudavi diligentiam tuam in discendo atque industriam* &c. Textus ab alia manu rursus limatus, notisque ad marginem adpersus est, quas Trapezuntii credo; quaedam enim, ut fol. 108. p. 2. fol. 128. p. 2. fol. 131. nomen ejus praeferunt. Cap. XXVII. ad verba Basili nobis fol. 126. *Quis sanctorum nobis in demonstratione* (ἐπὶ τῇ ἀναδείξει) *panis eucharistiae et calicis benedictionis verba invocandi reliquit in scriptis?* adjicitur: *Nota quod hic demonstratur nullam a Jacobo (Apost.) scriptam missam ad Basilium pervenisse.* Fol. 131. ubi Basilius C. XXIX. *lucernalis gratiarum actionis* (τῆς ἐπιλυχνίης εὐχαριστίας) *meminit, commentatur Noster de Hymno, cujus initium: Φῶς ἱλαρὸν ἁγίας δόξης ἀθανάτου* &c. et postquam dixisset illum ita finire: *Laudamus patrem, filium et sanctum spiritum deum, ita argumentatur: Hoc certe postremum quod dicitur deum, aut ad solum spiri-*
Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

tum refertur, et sic spiritus communi christianorum usu sicut deus verus adorabatur, sicut nunc et adoratur, et adorabitur latius, cum jam tempus iubet, ut intret plenitudo gentium, quam sequentur Judei secundum paulum, vel ad tres personas patris, filij et spiritus sancti. &c. Habuit igitur Trapezuntius Codices, qui legebant: Ἀὐτῶμεν πατέρα, καὶ Υἱόν, καὶ ἅγιον πνεῦμα Θεόν, et ita lego etiam in *Horologio graeco Venetiis 1667. p. 221. 8.* Quare miror Maurianos, qui T. III. p. 62. *Opp. Basili Θεῶν* habent, varietatem hanc ne quidem in *Notis* tetigisse. Ceterum Versionis nostrae Trapezuntianae indicium nec apud *Fabricium Bibl. gr. L. v. c. 19.* nec apud *Niceronum T. XIV. p. 329.* nec apud *Apost. Zenum T. II. Dissert. Voff. p. 9.* reperitur, minus apud *Maurianos.* Num Eruditi omnem ulteriorem investigationem interdictam sibi putarunt post *Erasmi* in suae Versionis ad *Job. Dantiscum Ep. Culm.* Praefatione Sententiam: *Hoc probatissimi Doctoris (Basili) opus quoniam videbam a Gregorio Nazianzeno magnopere laudatum in Monodia, nec haftenus a quocquam, quod equidem sciam, Latine uersum, eo libentius hoc laboris mihi sumpsi* &c.

CCLXV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 83
XV. Folior. 156. 4. nitide exaratus, Titulis miniatis char. quadro, limbo frontis et literis initiorum
G g rum